

AD I. COR. CAP. IV.

ut scriptum est, *qui gloriatur, in Domino gloriatur* (1 Cor: I. 31.) & retinere fundamentum, videlicet in solâ Dei misericordia sitam esse nostrâ salutis fiduciam & certitudinem, non in nostrâ conscientiâ Lyc: XVII. 10. Colligitur autem hinc, *Justificationem nostram non sitam esse in iustitiae vel charitatis infusione*: Nam de illa conscientia testificatio sufficeret; sed in gratiosâ peccatorum remissione, quæ ob Christum nobis concedantur ex merâ misericordiâ, non ob nostra opera. Et quanquam fideles non nunquam ad bonam conscientiam provocent; id tamen aut sit quâ *justitiam cause*, non verò quâ *justitiam personæ*; aut sit secundum quid solum, non simpliciter, quâ innocentiam, quantum ad peccata graviora, voluntaria, non verò quoad perfectionem omnino modum. Nam in multis labimur omnes Jac: III. 2. & conscientia, ut ut optima videatur, peccatis tamen polluta est Prov: XX. 9. Neq; ullus apud Deum omnino innocens est Exod: XXXIV. 7. Omnes Sancti tenentur petere remissionem peccatorum P/ XXXII. 6. Distinguendum etiam inter conscientiam bonam, quâ consideratur *coram Deo*, & quâ *coram proximo*. Nam *coram proximo bona conscientia sumitur*, cum quis neminem laedit, atq; omnibus prodeesse studet, & ita vivit, ut vivere eum non pudeat. *Coram Deo* autem talis conscientia bona nondam est, qui intima cordis nostri scrutatur; sed opus est, ut conscientia purificetur sanguine Christi per fidem.

Ex quo tamen cum Pontificiis non est cludenda *incertitudo gratiae*, *An binc incertitudo gratiae* qvia *justificationis gratia non dependet à nostrâ sanctitate, vel innocentia, titudo gratiae sed à Christi iustitia, verâ fide apprehensâ Rom: IV. 6. cap: V. 18. Non dubitavit enim Paulus, sed certus fuit de justificatione suâ Rom: II. 5. ult: Etsi eam certitudinem hic non deducere velit è conscientiae bonitate, negetq; se puritate conscientiae sua justum esse. Agit præterea hic Paulus solum adversus hominum aliorum judicia, non vero derogat sibi iudicium de fide & *justificatione propria* cum quemq; justum probare jubeat, *num in fide sit 1. Cor: XIII. 5.* dicit quidem, *ego meipsum non iudico, sed qui me iudicat Deus est*, sed hoc de *judicio administrationis fidelis, non de iudicio probationis fidei*: de *judicio propriæ laudis*, qvia à Deo laudem expectet, non de *judicio divinæ in Christo gratiae & dilectionis*: de *judicio factorum, non de iudicio receptionis in gratiam, intelligendum*. B. Balduinum distinguendum censet inter *judicium decreta, quo per sententiam judicari-**

Contra insu-
fionem justi-
tie.